

sciō paratum ; sed necessest huic ut subveniat. *PY.* sapis.
ego abeo intro : tū ŷti narra omne[m] ordine[m] ut factum 970
siet.

SE. Ex mēo propinquo rure hoc capio commodi :
neque agri neque urbis odium me umquam percipit.
ubi satias coepit fieri commuto locum.

sed ěstne ille noster Parmeno ? et certe ipŷus est.

5 quem praestolare, Parmeno, hic ante ostium ? 975

PA. quis homost ? ehēm salvom te advenire, ere, gaudeo.

SE. quem praestolare ? *PA.* perii : lingua haeret metu.

SE. hem

quid est ? quid trepidas ? satine salve ? dic mihi.

PA. ere, primum te arbitrari [id] quod res est velim :

10 quidquid hūiu' factumst, culpa non factumst mea. 980

SE. quid ? *PA.* recte sane interrogasti : oportuit

rem praenarrasse me. emit quendam Phaedria

eunuchum quem dono huic daret. *SE.* quoi ? *PA.*

Thaidi.

SE. emit ? perii hercle. quanti ? *PA.* viginti minis.

15 *SE.* actumst. *PA.* tum quandam fidicinam amat hic 985

Chaerea.

SE. hem quid ? amat ? an scit ill' iam quid meretrix siet ?

an in astu venit ? aliud ex alio malum !